

PINUS MENDOCIÆ

Pinosque loquentes. VERG.

NORBERTO PIÑERO

Viro amplissimo, et publicæ rei
administrandæ munere longe
clariori abditado quam a depto;
hoc carmen, qualecumque est.
mitto grati animi ergo.

Qua minus assurgit riguo Mendocia plano,
extra pæne domos, ipsoque in limine ruris,
desertus locus est lapidum congestibus horrens.
Hic olim annosæ dum stans prope ab arbore pinus,
excisssi obstupearum pendentia rudera templi,
(jam sol occiderat, jamque horæ blanda levare
cœperat aura graves veniens de montibus æstus,
lunaque fulgebat), quassis en talia noctem
fundere per tacitam audita est de frondibus arbor:

Nil datur in terris hae visere pulcrius urbe.
Montano gelidos defendens objice ventos,
qua radios recipit primi mane ardua solis,
despicit immensam sese subducere molli
planitiem clivo, finesque attingere cœli.
Rectis secta viis instructis arborum utrinque
ordine populea penitus jacet abdita silva.

Nota. — Hállase este pino entre los escombros del antiguo convento de San Francisco. Tuvo lugar el terremoto en 1861. Mendoza quedó por completo destruída; pasa de 12.000 el número de los muertos. Las circunstancias me han sido suministradas por testigos oculares, y por lo demás una descripción exactísima del hecho salió en el "Diario" el año pasado. La pascua cae este año como en 1861, el 31 de Marzo. Esto me sugirió la idea de conmemorar la catástrofe.

Astra die multo sæpe hic sunt visa micare,
 et veluti captus flammis nocte æstuat æther.
 Hic nubes raro maculant effusa serena,
 et nisi quod torrens cum sævit aquarius, æstus
 triste levant pondus jucunda aspergine nimbi,
 perpetuo gaudet felix Mendocia sudo.
 Nec damno id segetis, glacie vi namque caloris
 et nive tabente Andinis in molibus, ingens
 copia manat aquæ per præceps, quattuor unde
 flumina, quæ rumpunt in apertos impete campos;
 innumerisque solum rivis deducta per omne,
 obducuntque fimo, saturantque madore perenni.
 Hinc granis spicæ gravidæ, vitesque racemis
 (nam vario Bromius priscis de sedibus actus
 agmine morborum sua tandem hic signa locavit);
 hinc semper molli viridantia gramine prata:
 adde solo quaqua substratam hic ignis abunde
 materiem et liquidum manans tellure bitumen;
 adde greges pecudum innumeros armentaque læta;
 adde genus volucrum, quæ campos agmine magno
 æeris et festis implent concentibus arva.
 Urbs vere felix, instar ni Damoclis ensis
 impenderet ei usque super cervice ruina.
 Heu semper memoranda dies vicesima marti!
 Et tum demenso jam sol descenderat orbe
 post montes illos; reparans et tum sua damna
 luna super terris jam plenis cornibus ibat;
 et cælum fulgebat in omni parte serenum,
 in longum nubes ni ducta per æera tractum
 Andibus ære micans in summis torva sederet.
 Omnes immotæ res stare, nec halitus auræ
 hunc mihi vocalem pius impertire susurrum;
 ægre respirare sub æstus pondere tellus.
 Ecce autem fragor audiri, mugitus et ingens,
 haud secus ac cæli si qua de parte tonaret:
 post sonitus turmæ veluti currentium equarum;
 mox totus trepidare alis ceu concitus æer

innumeris, vastoque impleri murmure cuncta.
 Continuo terram subter turgescere, et imas
 per stirpes undam veluti transcurrere sensi:
 cuncta simul, muris subductis, tecta domorum
 consedere solo, jacuitque urbs eruta sede.
 It fragor in cælum; sublato pulvere luna,
 opposita ceu cum privatur lumine terra,
 deficit, inficiens obscuro sanguine vultus.
 Urbem quis valeat nunc fingere mente sepultam?
 Millia totque virum simul una oppressa ruina?
 Sic homines superis, sic sunt mortalia curæ!
 Interea gemitus toto increbescere campo,
 et resonare nigrans longis ululatibus æer;
 congestoque solo voces exire ruinis,
 haud secus ac terra passim scatet unda madenti,
 vel crepitans tecti per rimas exsilit ignis.
 Nec cladi hic finis; subito nam flamma coorta,
 a vento capiens et tanto fomite vires
 ingentes, totam reptans en corripit urbem.
 Exoriens nocti posuit sol denique finem.
 Tum damnum patuit, molesque immensa malorum.
 Non domus ulla loco stabat, revolutaque templa
 et monumenta solo passim turresque jacebant.
 Exscidio elapsi immani vix unus et alter;
 ægre quos animo e tanto terrore recepto
 quod primum sors objecit, velamine facto,
 larvis huc illuc similes errare videres
 nomine quemque suos, natumve patremve, vocantes.
 Interea in campis, quos est hinc cernere, lecta
 San Martin juvenum unde est cum legione profectus,
 cum, novo inaudito superatis Andibus ausu,
 undique devictos Hispanos expulit urgens,
 servitiique jugum populis tribus abstulit unus;
 castrorum in morem tentoria constituuntur,
 exiguum miseris quæ sint ad tempus asylo.
 Macerie inde statim passim, saxisque remotis,
 pergitur auxilium quam primum ferre sepultis

si quis vivus adhuc inter fragmenta jaceret;
corporaque exanimum disjectaque cogere membra,
quæ simul ingenti fovea conduntur in una.
Mens meminisse horret quæ tunc teterrima vidi!
Haud procul hinc senis heu! circumdata natis,
sub saxis, quodam in vacuo est matrona reperta.
Non illapsa domus miseros oppresserat, et jam
exscidium læti evasisse, referre parabant
dis grates, clausis cum circumfunditur ignis,
in septemque nigros carbones corpora vertit:
unus patricia tota de gente relictus!
Hoc, si quid movet aura comam, noctesque diesque
ingeminans carmen diffundit conscia pinus:
cui veteris resonant urbis vestigia circum.

*Scriptum in suburbano Pili Tombæ
quod nomen a salice invenit. MCMVII*
